





2.<sup>A</sup> 171

1717, 18

# FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS, **ERNESTUS** **TENZELL,** — J. U. D.

CONSILIARIUS REGIMINIS, JUDCII PRO-  
VINCIALIS ERFURTENSIS ASSESSOR,  
CIVITATIS CONSUL PRI-  
MARIUS, ET REL.

*L. B. S.*  
Historie in definitiones iuris naturae, quod sit  
iur quod natura omnia animalia docuit  
H. C. —————— G. G.

**ERFORDIÆ,**

**TYPIJS JOH. HENRICI GROSCHII,**  
ACAD. TYPOGR.



Um quæ circa Justitiam, & jura occupata  
est prudentia, varia comprehendat, nunc  
leges condendi, emendandive, nunc con-  
sultandi, aut judicandi ; modo de Jure  
respondendi, profitendi, aut litigantibus  
Patrocinium præstandi officia ; Inde quod interpretati-  
vajuris ad facta applicatio, vix, imo ne vix quidem  
latitudinem Jurisprudentiæ exauriat, satis patet. Sicut  
tamen sine jure Civitas regi nequit, ita nec jurisperitis  
carere potest, quantum est enim, jus in Civitate esse, nisi sint,  
qui jura regere possint? cum nec constare possit jus, nisi sit ali-  
quis iuri peritus, per quem possit quotidie in melius produci,  
Tradente JCto Pomponio in L. Necessarium 2. § 13. ff. de O.  
J. Ut igitur Jus suum cuique prudenter tribuatur, co-  
gnitione juris opus esse, facile constat; non certè unius  
alteriusve Civitatis, sed & universalis & communis  
omnium hominum, & certè plurium etiam gentium.  
Sicut enim omne jus vel à Summo Legislatore, omni  
Prudentiæ, ac Sapientiæ Fonte originem trahit, cuius  
cognitio per rectam rationem hominibus contigit, &  
postea sacrâ revelatione per infinitam DEI Gratiam optimè  
fuit illustrata, manente semper eadem actionum hu-  
manarum moralitate, ac lege Naturæ; vel certè homi-  
nes autores proxime habet: Ita meritò ratio illius pri-  
mo loco habetur juris, quod dignorem & perfectiorem  
habet Autorem, præ illo, quod hominibus debemus.  
Illud quippe & omnibus hominibus commune est, &  
Gentes eodem utuntur, nec ulla Civitas eodem carere  
potest, sed est fons & conditum omnium iurium.

Cum

Cum autem solum jus Naturæ ita immediate à DEO sit; inde illud quo Gentes inter se utuntur, (quatenus propriè jus Gentium dicendum, quod à Gentibus originem habet, aliud enim est jus Naturæ, quo æquè Gentes inter se, ac Subditi cuiuslibet Civitatis utuntur, ac proinde jus Gentium primævum nonnullis vocari solet,) ad jus humanum omnino referendum, quod etiam mutabilitati obnoxium esse, experientia testis est. Quis enim fœdera inter Gentes, paœta, imo jura Belli & Pacis, quatenus five moribus, five pactis reguntur, five plures, five aliquot, vel duas, etiam solum Gentes strigant, jus Gentium, seu jus, quod Gentes obligat, esse negabit? Jus etenim dari, & recte dici, etiam quod communis consensus fecit, aut firmavit consuetudo, & per se patet, & JCtus *Modestinus* in l. 40. ff. de LL. confirmat. Hoc vero omnes fatentur, Jus Romanum modo Jus Naturæ à Jure Gentium separare, modo illa inter se confundere. Imò latissimè accipitur Jus Naturæ, dum in pr. J. de J. N. G. ac C. definitur: *quod Naturæ omnia animalia docuit.* Etsi enim magni olim nominis JCtus Strauchius in *Dissert. I. th. 4.* duplex Jus Naturæ asserat, unum, quod sit commune omnium animalium, cum Lex æterna in mente Legislatoris DEI, sit principium actuum, dirigens brutorum æque ac rationalium actus, non tamen eodem utroque modo; Brutorum quidem per modum inclinationis naturalis, imposuâ necessitate parendi citrâ cognitionem & judicium &c. Rationalium vero per modum obligationis, salvâ subjecti dirigendi libertate obsequendi &c. Sed si ita diverso planè modo naturali lege diriguntur actiones Hominum ac brutorum, unde commune hominum cum brutis jus Naturæ? Et undè proprietas juris Naturæ respectu brutorum, quam defendit Beier. in not. ad *Schnob. Disp. I. th. VI.* deficiente intellectu, & conseqüenter

quenter obligatione , libertate itidem agendi , & dicta-  
mine restæ rationis in brutis ? Annon potius illa veter-  
rum JCtorum opinio , exindè quod consortium homi-  
nibus cum brutis , & indè evenientem metempsycho-  
sin , statuerint , originem habet? quam tenuere *Egyptii*  
*& Indi* , diffudit *Pythagorica Sæta* , & illam è *Judeis* ,  
*Phariseos* assumisse , *Josèph. de bello Judaic. lib. 2. c. 7.*  
notat. Et ad quæ præcipitia non demum ducet dubita-  
tio , an homo à brutis rationis usu & discrimine discer-  
natur? an non potius aliâ differentiâ specificâ? Du-  
bitandi quæ afferuntur rationes , & meliores quæ sub-  
stitui solent differentiæ , vix acu rem tangunt. Optimè  
*Chrysostomus in Homil. 4. ad Aæt.* Per *Philosophos* (inquit)  
hoc semper egit Diabolus , ut offendaret , nosterum genus nihil  
à brutis differre , quando nonnulli in opinionem tam absurdam  
venerunt , ut animalia rationis expertia , ratione praedita esse di-  
carent. Ita multorum mater errorum existit illa de jure Na-  
turæ ratiocinandi nimia libertas , quâ sepositâ vel imò post-  
habitâ in Scriptura Sacra revelata gratosâ meliori lumi-  
nis naturalis doctrinâ , uti solent illi , qui sententias Verbo  
DEI contrarias ratiunculis cerebriinis defendere sata-  
gunt , indigni hoc ipso lumine Gratiæ , qui ita Andar-  
batarum more cœco impetu pugnant. Tanta potius  
mentis gratitudine venerari , intimam æternæ Sapien-  
tiæ revelationem decet , ut potius quæ discors videatur  
rationis nostræ illatio , certitudinem non sine summâ  
veneratione ex veritatis fonte haurire deberet constan-  
ter. Nugæ aliás sunt , quæcumque dicuntur. Nec  
enim infideles sumus (adminimum ore omnes) nec no-  
bis res est cum talibus. Pluribus de hisce differet Nobis  
& Clarissimus Dominus

JOAN-

# JOANNES CORNELIUS EBERWEIN,

Jurium Candidatus dignissimus , in Lectione sua ad  
*pr. J. de J. N. G. & C.* cursoria. Sicuti autem Antiquitate  
generis & gloria majorum inter omnes florere, laudi vel  
maxime ætate nostra ducitur, ita eruditione & modestia  
Viros præstantes superare , vel fato Stoicorum inevitabi-  
li , vel indoli bonaे, nescio quo impetu, accensetur. Hinc  
literis dies noctesque incumbunt , non ut emendatores,  
sed ut nasutiores, evadant,cum tamen non discendum sit,  
quid ebullientis sanguinis motus calcitret , sed quid infi-  
nitas voluntatis concupiscentias emender & castiget. Ve-  
ra enim sapientia in timore Dei & amore proximi, non  
in sesquipedalibus verbis, & fastuosa orationum *λογοπαχία*  
quæritur, & re ipsa invenitur. Quare & antiquitati ve-  
nerandæ solempne fuit, vitas eruditorum brevibus expo-  
nere , quo ex moribus vitam,ex vita doctrinam paulo ac-  
curatius cognoscamus. Quorum vestigiis insistens , se-  
positis verbis, & artificiose , & ingeniose, conceptis,pau-  
ca de ortu non minus quam studiorum suorum progres-  
su, ex more patrio retulit Candidatus Noster,quæ nunc  
recensenda veniunt. Natus quippe est Stedenæ, pago  
Comitatus Mansfeldensis, Anno MDCLXXXIX. Die  
viridum XXX. Martii, Patrem naetus JOAN. AUG.  
EBERWEIN , pastorem commemorati loci vigilantis-  
simum, Matrem vero MARIAM SUSANNAM, ex no-  
bili stirpe *Güntherianorum* ortam , feminam , & pieta-  
te , & prudentia , & singulari modestia , maxime con-  
spicuam. Quod si gloria avorum superbire decus sit, se-  
non ignobilem fore, vel filium terræ dicendum crede-  
ret,cum viros ex linea paterna excellentissimos , nec  
minus ex linea materna clarissimos , si modestia permit-  
teret,

teret, facile docere posset. Verum sapienti sat. Illud tamen exemplum memoratu dignum ipsi videtur, quod quinque filii Ataviæ, ex familia Personorum nobilissimorum orti, uno die Vitemberge gradum Doctoris consecuti fuerint, adeo, ut filius natu major D. Lud. Penson, primum Professor Vitemberge ordinarius, deinde jussu Seren. Elec. Sax. Consiliarius aulæ & justitiæ, nec minus Appellationum fuerit designatus. A primis statim cunabulis illum Parens, post fata quoque venerandus, studiis, quæ tenerani ætatem & ornant & illustrant, polendum curavit, adeo, ut sub privata ejus informatione, nam nullius fidei eum committendum esse credidit, & omnes purioris latinitatis autores, (quod tamen citravam jaætantiaæ gloriam allegat:) imbibiterit. Comte enim & ornate dicere, est viri eruditæ ornamentum, non vero immensæ eruditioñis complementum, adeo, ut anno sexto decimo nondum completo, Academiam Fridericianam, & fato, & institutione celeberrimam felici successu salutare potuerit. Jactet Roma, venustatis omnis mater, clime elegantissima, se Viros ad miraculum, nec minus confusionem aliorum natos habuisse, & aluisse, certe & ille optimo jure fatendum esse existimat, se ibidem locorum viros, & divinæ, & humanæ scientiæ peritissimos, deprehendisse, & invenisse. Ab ore enim virorum clarissimorum, Illustris scilicet Dom. Thomasi, Excell. Dn. D. Schneideri, eloquentissimi & eruditissimi, Cellarii, nec minus Dn. D. Ludovici, indefessus per quatuor annorum spatum pependit, qui, quæ in re literaria huc usque ediderint, constat intet omnes. Incredibili itaque ardore discendi accensus, sub ductu præsentim Excell. Christ. Thomasi veram, non rixosam, uti refert & murmurantem Philosophandi rationem, excoluit quo successu temporis monstra opinionum, quæ barbaro no-

mine

mine vocamus præjudicia , in adparatu omnium sci-  
entiarum pasim obvia , animo plusquam generoso  
eradicare posset. Et , cum jussu parentis optimi,  
cui tunc temporis , vel reluctante natura contra-  
dicere nefas erat, per quadriennium sacris studiis ipsi  
inhiandum esset, Viros & pietate , & ~~ἀποδίκει τὸ πέμπτον~~  
~~ώρα~~ exercitatismos, Dn. scilicet *D. Breithauptum*, Dn.  
*D. Antonium*, Dn. *Franckium*, aliosque celeberrimos,  
tum publicè, tum privatim , plus una vice simplici fre-  
quentavit. Hi namque viri ~~ἰεράτευτοι~~, illum ~~ἀφόβως~~ docu-  
erunt, quantum sit discriminis inter ὑπότονον τὸ οὐγανόντα  
λόγον & σοφίαν εἰς πολλὴν φυσικήν consistentem, Relicta tandem,  
(nunquam autem lectissimam studiorum matrem relin-  
quendam optasset) alma *Fridericianā*, ~~ἰεροδοξίας~~ matrem  
Vitembergam petuit, ubi viros tum in jure publico, tum  
privato versatissimos , Dn. *D. Wernherum*, D. *Brendeli-  
um*, D. *Beyerum* audivit, sub quorum doctrina in scien-  
tia juris ita adolevit, ut ipsi facillimum t. t. fuerit intel-  
lectu, quid sit differentiæ inter scientiam mere formu-  
lariam, & facultariam mercenarii operam , atque inter  
jurisprudentiam , legibus non minus , quam rationi-  
bus legum solide corroboratam. Et , cum sit vero veri-  
us, scientiam non uno loco pertinaciter esse alligatam,  
se tandem Lipsiam , omnium illecebrarum plenissimam,  
quas mundus fovet & anxie appetit, contulit, non deli-  
cias hujus vitæ, sed corticem rei amplius sectaturus.  
Quod semper in delicis habuit, & curarum plenissimus  
quæsivit, ex voto hoc locorum investigavit,& felicissi-  
mo successu (uti refert) invenit. Duces enim in jure,  
Lipsiæ præstantissimos habuit, Dn. scilicet *D. Philip-  
pum*, non minus literis, quam praxi, clarissimum, Dn.  
*D. Olearium*, Dn. *D. Schacherum*, aliosque, utpote quos,  
se nondum monitore, totum terrarum orbem scriptis  
suis

suis jam dudum collustrasse laudat. Nihilo tamen minus inveteratam consuetudinem, in Academiis præpostere receptam, parum curavit, qua juvenes nondum barbati, publice disputando, &, lamentabiliter mugiendo, famam suam ad ultimos usque Garantes propagare student, ne, quod communiter publicis alterationibus fieri solet, ex foetu impotentis animi plus damni, quam emolumenti, rei literariæ inducatur. Cum vero jactabunda posteritas ex publico Inaugurali Specimine divinando assiqui vellit, quid vires valeant, quid humeri ferre recusent, & hic refragari noluit, sed potius à Facultate nostrâ ad Examen Inaugurale admitti, & petiit, & obtinuit. Textus igitur ex utroque jure more Majorum resolvendos ipsi transmissos, doctè resolvit, & responsionibus ad quæstiones propositas, acquisitam in jure scientiam non vulgarem, satis comprobavit; ut adeò votis omnium & in numerum Candidatorum receptus, & ad reliqua Specimina Inauguralia, quin & ad honores janua ipsi aperta sit. Quare proximo die D. 15. h. Febr. post horam svam matutin, in Collegio Jctorum majori ad d. pr. J. de J. N. G. & C. Lectionem Curforiam, & hâc finitâ, Disputationem Inauguralem, de Arte Interpretandi Leges Civiles D. A.! habebit. Ad quos actus solennes, omnes ac singuli Universitatis Nostræ Proceres ac Civives, debito modo invitantur. Publ. sub Sig. Fac. Domin. Invocatio, d. 14. b. Febr. Anno rep. Sal. 1717.



L.S.

Erfurt, Diss., 1717

ULB Halle  
004 548 485

3



f

IA->OC

nur 2 u. 4 bisher verknüpft



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Farbkarte #13

1717, 18  
2A 171  
**FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
ERNESTUS  
TENZELL,  
J. U. D.**

CONSILIARIUS REGIMINIS, JUDCII PRO-  
VINCIALIS ERFURTENSIS ASSESSOR,  
CIVITATIS CONSUL PRI-  
MARIUS, ET REL.

*L. B. S.  
Historiae in definitiones in natura, quod sit  
car quo natura omnia animalia foris*

*ERFORDIAE,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.*

*CIVITATIS  
ZVHALLE*